

$\pi$  g  
10



Q1

QR. 532, 3.

33. m. II 145

II g  
10

# ERASMI ROTERODAMI



DE RATIONE STVDII AC  
legendi, interpretandiq; aucto-  
res libellus aureus.

Officium discipolorum ex Quintiliano,  
Qui primo legendi, ex eodem.

ERASMI  
Concio de puer IESV in schola  
Coletica Londini instituta pronuncianda.

EIVSDEM  
EXPOSITULATIO IESV ad mortales

EIVSDEM  
CARMINA SCHOLARIA.



ERASMVS ROTERODAMVS PETRO  
VITERIC LIBERALIVM DISCIPLI  
NARVM PROFESSORI  
EXIMIO S. D.

••,•

**N**æ tu rem istam mi Petre suauissime, & perspicis acute, et  
grauiter, verec⁹ iudicas, plurimū referre, qua ratione, quoq;  
ordine quid instituas, idq; maximum habere momentum,  
cum cæteris in rebus omnibus, tum vero præcipue in bona-  
rum studijs literarum. An non videmus ingentia pondera,  
hartem adhibeas, minimo tolli negotio, quæ nullis alioqui  
viribus moueri poterat? Quemadmodum & in bello non  
pinde refert, quantis copijs, quantisq; viribus hostē adorias-  
ris, vt q; probe instructo exercitu, quo consilio quoq; ordi-  
ne pugnam capessas. Ac multo celerius quo tendunt,  
perueniant ij, qui semitas compendiarias norunt, q; qui am-  
nem ( vt ait Plautus ) ducem sequuntur, & vel contempto  
Pythagora τησ λεωφορου ingrediuntur, vel varijs etiam er-  
rorum ambagibus circumaguntur. Proinde rogas, vt tibi stu-  
diorum ordinem, ac viam, formamq; præscribam, quam tu,  
veluti Thesei filium secutus, & in auctorum labrinthis citra  
errorem versari queas, & ad eruditionis summam celerius  
emergere, vel magis aliorum studijs consulere, quos bonis  
literis instituis, quandoquidem ipse iam propemodū ad eru-  
ditionis fastigium peruenisti. Evidem pro mea certe virili  
non grauatim parebo homini tam amico, vt nephas sit quid-  
uis etiam flagitanti negare, nedum rem tam honestam, tanq;  
frugiferam. Q; si senseris nostrum hoc consilium tibi com-  
modo fuisse, tui candoris erit, & alijs ad bonas literas enitenti-  
bus, dìgito viam indicare,

## DE RATIONE STVDII. II.

Rincipio duplex videt oīno cognitio,  
rerū, ac verborum. Verborū prior, res. Id est ille  
rū potior. Sed nonnulli dū ανιπποισ(ut lotis pes  
aiunt) ποσιν ad res discendas festinant, dibus.  
sermonis curā negligunt, et male affectia  
to cōpendio in maxia incidunt dispensa-

p  
dia, Etenī cū res non nisi per vocū notas cognoscant, qui ser-  
monis vīm nō calleat, is passim in rerum quoq; iudicio cæcu-  
tia, hallucinetur, deliret necesse est, Postremo videoas nullos  
omnium magis vbiq; de vocalis cauillari, q; eos qui iactitant  
sele verba negligere, rem ipsam spectare. Quapropter  
vtroq; in genere statim optima, & quidem ab optimis sunt  
discenda. Quid enim stultius, q; magno labore discere, quæ  
postea maiori cogaris dediscere? Nihil autem facilius discit,  
q; q; quod rectum, ac verum est. At praua si semel inhæserint  
ingenio, dictu mirum, q; non possint reuelli. Primū igitur lo-  
cum grammatica sibi vendicat, eaq; protinus duplex traden-  
da pueris, græca videlicet, ac latina. Non modo q; his dua-  
bus linguis omnia ferme sunt prodita, quæ digna cognitu vi-  
deantur, verum etiam q; utraq; alteri sic affinis est, vt ambæ  
citius percipi queant coniunctim, q; altera sine altera, cer-  
te q; latina sine græca. A græcis auspicari nos mauult.  
Quintilianus, sed ita, si his literis perceptis, non longo in-  
teruallo latinæ succedant, sane utrasq; pari cura tuendas  
esse monet atq; ita futurum, vt neutræ alteris officiant. Er-  
go utriusq; linguæ rudimenta, et statim, & ab optimo præ-  
ceptore sunt haurienda, qui si forte nō contingat, tunc (quod  
est proximum) optimis certe viendum auctoribus, quos  
equidem perpaucos, sed delectos esse velim. Inter græcos  
grammaticos nemo non primum locum tribuit Theodoro  
Gazæ, proximum mea sententia Constantinus Lascaris sibi  
iure suo vendicat, Inter latinos vetustiores Diomedes, inter

A ii

## DE I RATIONE STVDII

Vera vmen dñe  
qñcndi facultas  
vnde paratur.

recentiores haud multum video discriminis , nisi q̄ Nicolaus Perottus videtur omnium diligentissimus , citra superstitionem tamen Verum vt huiusmodi precepta fateor necessaria , ita velim esse , quoad fieri possit , q̄ paucissima , modo sint optimi . Nec vñquā probauit literatorum vulgus , qui pueros in his inculcandis complures annos remorantur . Nā vera emē date loquiendi facultas optime paratur , cum ex castigateloquentium colloquio , conuictuq; tum ex eloquentium authorum assidua lectione , e quibus ī primū sunt imbibendi , quorum oratio præterquā q̄ est castigatissima , argumenti quoq; illecebra aliqua discentibus blandiatur . Quo quidē in genere primas tribuerim Luciano , alteras Demostheni , tertias Herodoto . Rursum ex poetis primas Aristophani , alteras Homero , tertias Euripidi . Nam Menadrum , cui vñlloq; datus eram , desideramus . Rursum inter latinos quis vñlloq; or loquendi author , q̄ Terentius & purus , tersus , & quotidiano sermoni proximus , tum ipso quoq; argumenti genere iuscundus adolescentiæ . Huic si quis aliquot selectas Plauti comedias putet addendas , quæ vacent obscenitate , equidem nihil repugno . Proximus locus erit Vergilio , tercius Horatio , quartus Ciceroni , quintus C. Cæsari . Salustium si quis adiungendum arbitrabitur , cū hoc non magnopere contenderim , atq; hos quidem ad utriusq; linguae cognitionē satis esse duco . Nec enī mihi placent , qui in euoluendis hunc in usum auctoribus , etiam quibuslibet , vitam omnē cōterunt . Prorsus infantē existimantes eum , quem vlla chartula suffugerit . Ergo parata sermonis facultate , si non luxuriosa , certe casta , mox ad rerum intelligentiam conferendus est animus . Tametsi ex his quoq; scriptoribus , quos expoliendę linguae gratia legimus , non mediocris obiter rerum quoq; cognitio percipitur , verum ex instituto omnis fere rerū scientia , a græcis authorib⁹ petenda est . Nam vnde nā haurias vel

## DE RATIONE STVDII.

III.

purius, vel citius, vel iucundius, q̄ ab ipsis fontibus? Sed quo ordine disciplinæ discenda sint, & ex quibus potissimum præceptoribus, id alias fortasse rectius ostendemus. Interim ad primæ ætatis studia reuertamur. Ut igitur ex his auctoribus vnde linguae copiam petendam esse diximus, fructum capias & maturius, & ubiorem, Laurentium Vallam tibi censeo diligenter euoluendum, qui de latini sermonis elegantia scripsit elegantissime. Huius adiutus præceptionibus, ipse per te non pauca annotabis. Neq; enim te velim per omnia, velut addictum, Laurentianis seruire præceptis. Adiuuabit hoc quoq; si figuræ grammaticas a Donato, ac Diomedes traditas edidiceris, si carminis leges ac formas omnes tenueris, si rhetorices summam, hoc est propositiones, locos probationum, exornationes, amplificationes, transitionum formulas in promptu habueris. Conducunt enim hæc non solum ad iudicandum, verum etiam ad imitandum. His itaq; rebus instructus, inter legendum auctores nō oscitanter observab;is, si quod incidat insigne verbum, si quid antique aut noue dictum, si quod argumentum, aut inuentum acute, aut tortum apte, si quod egregium orationis decus si quod adagium, si quod exemplum, si qua sententia digna, que memoria commendetur, Isq; locus erit apta notula quapiam insigniendus. Notis autem non solum varijs erit vtendum, verū etiam accommodatis, quo protinus quid rei sit, admoneant. Ad hæc si quis dialecticen addendam statuet, non admodum refragabor, modo ab Aristotele eam discat, non ab isto los quacissimo sophistarum genere, neq; rursum ibi desideat, & velut ad scopulos ( ut inquit Gellius ) sirenos consenescat. Verum interim memineris, optimum dicendi magistrum esse stilum. Erit hic igitur in carmine, in oratione libera, in omni argumenti genere diligenter exercendus. Nec negligenda memoria, lectionis thesaurus. Eam tametsi locis & imagi-

A ij

*Quintilianus.*

## DE RATIONE STVDII.

affus adiuuari non inficior, tamen tribus rebus potissimum  
constat optima memoria, intellectu, ordine, cura. Si quidem  
bonæ memoriarum pars est, rem penitus intellexisse. Tum ordo  
facit, ut etiam quæ semel exciderint, quasi postliminio in ani-  
mum reuocemus. Porro cura omnibus in rebus, non hic tan-  
tum, plurimum valet. Itaq; quæ meminisse velis, ea sunt atten-  
tius, ac crebrius relegenda, deinde saepius a nobis ipsis exigen-  
da, ut si quid forte suffugerit, id restituatur. Illud minutius, sed  
tamen haud indignum quod admoneatur. Aduuabit non  
mediocriter, si quorum necessaria quidem, sed subdifficilis erit  
memoria veluti locorum, quos tradunt Cosmographi, pedū  
metricorum, figurarum grammaticarum, genealogiarū, aut  
si quæ sunt similia, ea q; fieri potest breuissime simul, & lucu-  
lentissime in tabulas depicta, in cubiculi parietibus suspendā-  
tur, quo passim & aliud agentibus, sint obuia. Item si quædā  
breuiter, sed insigniter dicta, velut apophthegmata, prouer-  
bia, sententias, in frontibus, atq; in calcibus singulorum codi-  
cum inscribes, quædam anulis, aut poculis insculpes, non ul-  
la pro foribus, & in parietibus, aut vitreis etiam fenestrī de-  
pinges, quo nusquam non occurrat oculis, quod eruditioñē  
adiuuet. Hæc enim tametsi singula per se pusilla videantur, ta-  
men in vnum collata aceruum, doctrinæ thesaurum lucro au-  
gent, haud quaquam negligendo τῷ εἰσ ἀΦενον σπενδοντι,  
id est his opibus properanti ditescere. Postremo illud nō ad  
vnum aliquid, sed ad omnia simul plurimum conduceat, si fre-  
quenter alios quoq; doceas. Nunc enim melius deprehen-  
deris quid intelligas, quid non. Atq; interim noua quædam  
occurrunt commentantī, differentiq; nihil non altius infigie-  
tur animo,

## DE PVERIS INSTITVENDIS. IIII.

### DE RATIONE INSTITVEN- DI DISCIPVLOS.

**S**ed video te cupere, ut de docendi quoq; ratione non nihil attingamus. Age mos geratur Viterio. Quanq; video Fabium hisce de rebus diligentissime præcepisse, adeo vt posthunc de ijsdem scribere prorsus impudentissimum esse videatur. Ergo qui volet instituere quempiam, dabit operam, vt statim optima tradat, verum qui rectissime tradat optima, is omnia sciatur necesse est, aut si id hominis ingenio negatum est, certe vniuscuiusq; discipline præcipua. In hoc non ero contentus decem illis, aut duodecim autoribus, sed orbem illū doctrinę requiram, vt nihil ignoret, etiam qui minima paret docere. Erit igitur huic per omne scriptorū genus vagandum, vt optimum quemq; primū legat, sed ita, vt neminem relinquat ingustum, etiam si parum bonus sit auctor. Atq; id quo cumulatiore fructu faciat, ante locos & ordines quosdam, ac formulas in hoc paratas habeat, vt quicquid vsquā inciderit annotādum, id suo ascribat ordini. Sed hoc qua ratione fieri oporteat, in secundo de copia commentario demonstrauimus. Verum si cui vel otium, vel libroruū copia defuerit, plurima Plinius unus suppeditabit, multa Macrobius, & Atheneus, varia Gellius. Sed in primis ad fontes ipsos properandum, id est græcos & antiquos. Philosophiam optime docebit Plato, et Aristoteles, atq; hui⁹ discipulus Theophrastus, tum vtrinq; mixtus Plotinus. Ex theologis secundū diuinās literas, nemo melius Origene, nemo subtilius aut iucundius Chrysostomo, nemo sanctius Basilio. Inter latinās duo dumtaxat insignes in hoc genere, Ambrosius mirus in allusionib; & Hieronymus in arcānīs literis exercitatissimus. Q; si minus vacabit immorari singulis, omnes tamen censeo degustandos, quorum in præsentia catalo-

## DE PVERIS.

gum texere, non est ratio. Certe propter poetarum enarrationem, quibus mos est, ex omni disciplinarum genere sua tē perare, tenenda est fabularum vis, quā vnde potius petas, q̄ ab Homero, fabularum omnium parente. Tametsi Metamorphoses, ac Fasti Nasonis non leue momentum adferent, etiam si latine scripti. Tenenda cosmographia, quæ in historijs est usui, nedum in poetis. Hanc breuissime tradit Pomponius Mela, doctissime Ptolomeus, diligentissime Plinius. Nā Strabo non hoc tantū agit. Hic præcipua pars est obseruasse quæ montium, fluminum, regionum, urbium, vulgo recepta vocabula, quibus antiquis respondeant. Eadem debet esse cura in arborum, herbarum, animantium, instrumentorum, vestium, gemmarum nominibus, in quibus incredibile dictu, q̄ nihil intelligat literatorum vulgus. Horum notitia partim e diuersis auctoribus, quæ de re rustica, de re militari, de architectura, de re culinaria, de gemmis, de plantis, de naturis animantium conscripserunt, colligitur. Quanq̄ Iulius Pollux ex professo de rerum vocabulis tradidit, que utinam tam accurate distinxisset, q̄ concessit copiose, partim ex ethymologijs, partim ex his linguis, quæ prisci sermonis & incorrupti, manifesta vestigia seruant in hanc usq; ætatem, cuiusmodi lingua Constantinopolitanorum, Italorum, & Hispanorum, nam Gallorum oratio longius degenerauit. Tenenda antiquitas, que non mō ex vetustis auctoribus, verum etiam e nomismatis prisci, e titulis, saxisq; colligitur. Ediscenda & deorum genealogia, quibus vndiq; refertæ sunt fabule. Eam post Hesiodum fœlicius, q̄ pro suo saeculo, tradidit Boccatus. Non ignoranda astrologia, q̄ hanc passim suis figmentis aspergunt poetæ, præsertim Higini. Tenenda rerum omnium vis, atq; natura, propterea q̄ hinc similia, epitheta, comparationes, imagines, metaphoras, atq; alia id genus schemata solent mutuo sumere. In primis autem omnis tenenda est historia

ria, cuius usus latissime patet, non tantum in poetis. Iam si quis Prudentium, unum inter christianos vere facundum poetam, volet enarrare, literas etiam arcanas calleat oportet. Postremo nulla disciplina est, nec militiae nec rei rusticæ, nec musices, nec architecturæ, quæ non usui sit ijs, qui poetas, aut oratores antiquos suscepereint enarrandos. Sed video, iam dudum frontem contrahis. Nam tu inquis, immensum onus imponis etiam literatori. Onero sane, sed unum, ut quod plurimos exonerem. Volo ut unus euoluat omnia, ne singulis vniuersa sint euoluenda.

Iam vero de formando puerorum ore, de quo tradendis ceu per lusum, iocumque literarum figuris, satis præcepit Fabius. Evidem post tradita elementa prima, malim ad usum loquendi statim vocari puerum, Etenim cum intra pauculos menses, quis barbaram linguam ætas eas sonet, quid vetat quo minus idem fiat in lingua græca siue latina? Verum id nec in magno puerorum grege locum habet, & domesticam præceptoris consuetudinem requirit. Quanquam in ludo quoque dabit operam, ut siue pluribus loquatur, siue seorsim unius, quod potest emendatissime dicat. Quædam obiter interpretur, & vt imitentur admoneantur. Loquentes illos aliquoties collaudet, si quid dictum erit aptius, aut emendet, cum errabunt. Ea res efficiet ut illi quoque consuescant circumspectius, & accuratius loqui, & præceptorem loquentem attentius observent, Iuuabit & illud, si præpositis præmiolis, aut poenis, velut ex lege prouocentur, ut ipsi quoque inter se aliis alium emendent. Poreo præceptor eruditiores aliquot deliget, qui cōtrouersiam finiant. Nec fuerit inutile, ceu formulas aliquot proponere pueris, quibus orationibus in lusu, quibus in congreſsu, quibus in conuiujs uti debeant. Has sic oportet esse doctas, ut simul & faciles sint, & iucundæ. Porro doctor ille diligens & doctus, acris iudicio non grauabitur.

## DE PVERIS

collatis omnibus grammaticorum præceptis, excerpere quædam, & simplicissima, quoad fieri potest, & breuissima, tum ordine q̄ maxime commodo. Posteaquā ea tradidit, statim ad auctorem aliquem ad id accommodatissimum, ac loquendi, scribendiq̄ consuetudinem vocentur. Hic præceptiones ante traditas vt incident, exemplaq̄ diligenter inculcabit, quibus etiam addet nonnihil, velut iam tum ad maiora præparans. Hinc iam thematijs exerceri debent, In quibus illud in primis cauendū, ne ( quod fieri solet ) aut sensu sint īepto, aut sermone insulso, sed argutam aliquam, aut venustam habeant sententiā, quæ tñ ab ingenio puerili non minimū abhorreat, vt interī aliud agentes, simul & aliquid discāt, in grauioribus studijs vslī futurum. Habeat igitur thema quod pueris proponas, aut historiam memorabile, quod genus sint illa. Marcelli præceps calor rem Romanam subuertit, Fabij prudens cunctatio restituit. Quanq̄ hic subest etiam sententia. Nimis rum præcipitata consilia partum fœliciter euenire solere. Itē, difficile iudicatu sit, vter altero fuerit stultior. Crates, qui aurū abiecit in mare, an Midas, qui existimauit nihil auro melius esse. Item, Demostheni ac Ciceroni immodica eloquentia exitio fuit. Rursum, nulla laus Codri regis meritis par esse potest, qui ciuium salutem propriæ vitæ dispendio redimensam putauit Sed nō magni negotij fuerit huiusmodi vim ex historiographis, præcipue Valerio Maximo, colligere. Aut fabulam habeat, vt illud, Hercules expugnandis mōstris immortalitatem sibi parauit. Musæ fontibus, ac nemoribus vni ce gaudent, a sumosis vrbibus abhorrent. Aut apologum, vt recte docuit Cassita, non esse committendum amicis negocium, quod per te possis cōfiscere. Itē, manticam pectore propendente vident omnes, eam quæ a tergo pendet, videt nemo. Item, Sapiebat vulpes, quæ maluit muscas iam prope saturas retinere, q̄ his expunctis, vacuas ac slientes admittere,

quæ quicquid reliquum esset sanguinis epotarent. Aut apophthegma, vt, Longe dissentiebat a vulgo nostræ ætatis, qui maluit virū absq; pecunia, q̄ pecuniā sine viro. Item, iure Socrates contemnit eos, qui non edunt vt viuant, sed viuunt vt edant. Merito non probauit Cato eos qui plus sapiunt palatio, q̄ animo. Aut proverbum, vt ne sutor ultra crepidam, & Nō cuiuslibet hominis Corinthū nauigare. Ac nos quidem editis tot chiliadibus effecimus, ne difficilis esset horum invenio. Aut sententiam, vt nihil charius constat, q̄ quod precibus emitur. Et, Obsequium amicos, veritas odium parit. Et amici qui procul absunt, amici non sunt. Aut rei cuiuspiam insignem naturam, vt Magnes ad sese ferrum attrahit, naphtha ignē. Item palmæ ea est natura, vt pōdere imposito, nō modo non deprimatur ad terram, verum etiam sursum nitatur, et aliis erigat sese. Item mirum Polipi ingenium, qui ad speciem subiecti soli mutat calorem, quo fallat insidias piscatoris. Aut figuram eximiam, puta gradationem. Diuitiae luxum pariunt, luxus saturitatem, saturitas ferocitatem, ferocitas odium multorum, odium perniciem, Aut similitudinem, vt quemadmodum ferrum si exerceas, v̄su atteritur, si non exerceas, exeditur rubigine, ita ingenium si exerceas, labore absumentur, si non exerceas, magis ocio, situq; leditur. Aut allegoriam, vt non est addendus ignis igni, non est addendum oleum incendio. Aut commutationem, vt non ideo te tales iudico, q̄ vehementer amem, sed ideo vehementer amo, q̄ talē iudicarim. Aut distributionem. Stultior est, q̄ vt possit tacere, infantior q̄ vt possit loqui, Simplicior est, q̄ qui possit mentiri, grauior q̄ vt velit. Sed mihi sat est indicasse tantū. Aut exquisitam aliquam elegantiam. Cuius rei nō est necesse pones exemplum. Nihil autem obstat, quo minus plures commoditates in eandem incident orationem, veluti sententia, historia, proverbum, & figura. Ergo præceptor, quem opus

## DE PVERIS

tet assidue in bonis auctoribus obuersari, huiusmodi ceu florūculos vndiquaque colliget, eosq; delectos proponet, aut etiam in eam formam demutabit, vt puerorum ingenij sint accommodati, Postquā his rebus ad aliquantam sermonis peritiam prouect⁹ erit puer, tum si videbitur, ad maiora grammatices præcepta reuocetur. Quæ per locos & ordines quosdam ita tradenda sunt, vt primo loco simplicissima proponātur, eaq; paucis, deinde vicinæ adolescentium ingenia, ita maiora suis quæc; locis oportebit subiçere. Is ordo cuiusmo-  
di sit, e Theodori Gazæ grammatica exemplum sumas lice-  
bit. Nec in his tamen velim eos detineri longius, sed illico ad  
auctores grauiores reuocari, præsertim si prius summa⁹ illā,  
de qua dixi, rhetorices, ac figuræ, & carminum formas tenes-  
ant. Interim thematis quoq; difficilioribus sunt exercendi, in  
quibus diligendis, ac narrandis diligentem, ac doctum præ-  
ceptorem requiram. Qui si sit mediocris, modo sit idem mo-  
destus, nō grauabitur hæc ab alio doctiore petere. Themata  
autem formæ huiusmodi fere possunt esse.

**N**unc epistolæ breuis argumentum, sed argutum lingua  
vulgari proponat, latine, græceq; , aut vtroq; sermone trac-  
tandū, nunc apologū, nūc narratiunculam nō insipidam, nūc  
sententiam ex quatuor constantem partibus, vtricq; simili aut  
ratione subiecta, nunc argumentationem quinq; tractandā  
partibus, nunc dilemma duobus, nunc expolitionem quam  
vocant, septem partibus explicandam, aliquando tanquā ad  
Rhetorica præudentes, vnum aliquod membrorum seorsū  
tractent, cuiusmodi progymnasmata scripsit Aphthonius.  
Aliquando laudem, vtuperationem, fabulam, similitudinē,  
cōparationem. Aliquando figuram, vel descriptionem, dis-  
tributionem, sermocinationem, subiectionem, notationem.  
Aliquoties iubeantur carmen aliquod soluere, aliquoties fo-  
lutiā orationem pedibus alligare. Interim Plinianam, aut Ci-

eroris epistolam verbis ac figuris imitentur. Nonnunquam eandem sententiam variatis verbis ac figuris, saepius effrant. Nonnunquam eadem græce simul ac latine, metro & oratione prosa varient. Nonnunquam eadem quinque aut sex carminum generibus quæ doctor prescripscerit, explicit. Nonnunquam sententiam eandem per locosque plurimos ac schemata diffingant. Plurimum autem fructus est in græcis vertendis. Quare conuenier eos hoc in genere sapissime, ac diligentissime exerceri. Nam simul & exerceatur ingenium in deprehensione sententijs, & utriusque sermonis vis, ac proprietas penitus inspicitur, & quid nobis cum græcis commune sit, quid non, deprehenditur. Denique ad reddendam græcanicam emphasis, omnes latine linguae omnes opes excutias oportet. Hæc si initio pueris difficultia videbuntur, tum usu sient facilitiora, tum præceptoris ingenium, ac studium bonâ negotij partem pueris adimet indicantis quæ putet esse supra vires illorum. Atque ipsis interim exercitamentis crebre prælectiones authorum misceantur, vt suppetat quod imitentur. Quanquam is qui docet, proposito themate, simul verborum quoque & figurarum copiam debet indicare. Sub hæc ad inueniendi quoque laborem prouocent, ita propositis nudis argumentis, vt suo quisque Marte reperiatur, quæ pertinebunt ad rem tractandam, ornandam, locupletandam. Et hic delectum ac varietatem requiram a præceptoris eruditæ diligentia, gustum interim exhibeo. Saepius argumentum epistolæ proponet suasoriæ, dissuasoriæ, exhortatoriæ, dehortatoriæ, narratoriæ, gratulatoriæ, expostulatoriæ, commendatoriæ, consolatoriæ, & vniuerscuisque generis naturam, locos, ac formulas quasdam communes, dein etiam arguento proposito, peculiares indicabit. Aliquando ceu declamatorium thema dabit in diuersis generibꝫ, puta si iubeat eos vsuperare Iulium Cæsarem, aut laudare Socratem, in genere demonstratio. Item statim optima discenda. In opibus non

B

## DE PVERIS

esse felicitatem, Matrē proprio lacte nutritre debere quod perit, Literis græcis non esse dandā, aut esse dandam operā. Vxorem esse ducendam, aut non esse ducendam. Peregrinādum esse, aut non esse peregrinandū, in genere sua sorio. Itē M. Horatium indignū esse supplicio, in genere iudiciali. Verum hanc palestram primū ingredientibus, non grauabitur is qui docendi prouincia suscepit, primū indicare, quot propositionib⁹ id argumentū tractari possit. Præterea, ppositionū ordinē demōstrabit, et quo pacto alia ex alia pēdeat. Deinde quot rationibus vnaquæc⁹ propositio fulciri debet, quot confirmationibus vnaquæc⁹ ratio. Tum circumstantias, ac locos vnde ista peti possint, Deinde quibus similibus, dissimilibus, exemplis, collationibus, sententijs, prouerbijs, fabulis, apolo⁹ gis vnaquæc⁹ pars locupletari queat. Ostendat & schemata, si qua insigniter videbuntur incidere posse, quæ vel acriorē, vel ampliorē, v⁹ magis dilucidam, vel iucundiorem reddant orationem. Si quid erit amplificandum, rationem demon⁹ stret, siue per locos cōmunes, siue per eas rationes, quas in quattuor formas distribuit Quintilianus. Qz si qui inciderit affectus, hi quoq⁹ quo pacto tractandi sint, admonebit. Quin & connectendi rationes prescribat, quis sit optimus futurus transitus, ab exordio ad narrationem, a narratione ad diuisionem, a diuisione ad argumentationem, a propositione ad propositionem, a ratione ad rationem, ab argumentatione ad epilogum, aut perorationem. Ostendat & formulas aliquot, quibus ibi cōmode possint exordiri, etiam perorare. Postremo si potest, locos aliquot in auctoribus indicet, vnde valeant aliquid imitandū sumere, propter rerum affinitatē. Id vbi septies, aut octies erit factum, iam incipient (quod ait Horatius) sine cortice nare. Et satis erit nudum thema ministrasse, nec necesse fuerit semper velut infantibus cibū præmansum in os inserere. Nec mihi displiceret illud exere-

## INSTITVENDIS VIII.

citationis genus. quod apud antiquos in usu video fuisse, vt ex Homero, Sophocle, Euripide, Vergilio, aut etiam ex his historijs aliquando legantur themata. Puta, vt Menelaus apud Troianam concionem repeatat Helenam. Aut Phenix suadeat at Achilli, vt redeat in prælium. Aut Ulysses suadeat Troianis, vt Helenam reddant, potiusquam bellum experiantur, Quo in genere extant alioquot Libanij, & Aristidis declamationes. Præterea, vt si uadeat aliquis amicus Ciceroni, ne conditionē ab Antonio oblatam accipiat, quod argumentū est apud Senecam, vti Phalaris suadeat Delphis, vt taurum æneum deo suo consecrent. Ad hoc genus pertinent epistola, q̄ Phalaridis, ac Brutī noīe circūferunt, In emēdando collaudabit, si quid fœlicius inuentū, tractatū, aut imitatū videbit, si quid prætermisſū, aut nō suo loco positū, si quid nimis aut remissius, si quid obscurius, aut etiā si qd parū eleganter dictū erit, admonebit, & q̄ pacto mutari possit ostēdet, ac mutari, & sepius iubebit. Extimulabit aut̄ p̄cipue discentiū animos, cōparatione profectus, velut æmulatione quadā, inter ipsos excitata. Iam in præligendis auctoribus nolim te facere quod prava quadā ambitione vulgus professorū hodie facit, vt omni loco coneris omnia dicere, sed ea dumtaxat quae explicando præsentiloco sint idonea, nisi si quando delectandi causa digrediēdū videbitur. Qz si hui⁹ quoq̄ rei rationē a me requiris, hæc mihi quidem videbitur optimā. Primo loco ad conciliandos auditores, laudes eius quem prælegendum sumit, paucis explicet. Deinde argumenti iucunditatem, utilitatemq̄ ostendat. Deinde vocē argumenti, si forte (vt faciunt) plæręq̄ varios habeat usus, explicet, ac distinguat, veluti comoediam (vt hoc exempli loco sumamus) Terentianam interpretaturus, in primis de auctoris fortuna, de ingenio de sermonis elegātia paucis differat, deinde quantum habeat & voluptatis & utilitatis comœdiarum lectio, deinde

B ij

## DE RATIONE STVDII

de quid significet ea vox, & vnde ducta, quot sint comœdias  
rum genera, & quæ sint comœdiæ leges, deinde q̄ potest &  
dilucide, & breuiter summam explicit argumenti. Carminis  
genus diligenter indicet, post ordinet simplicius, deinde sin-  
gula fusiū explicit. Deinde si qua insignis elegantia, si quid  
prisce dictum, si quid nouatum, si quid græcanicū, si quid ob-  
scarius, aut longius redditum, si durior aut perturbatior or-  
do, si qua etymologia, si qua deriuatio, at compositio scitu  
digna, si qua orthographia, si qua figura, si qui loci rhetorici,  
si qua exornatio, si quid deprauatum diligenter admoneat,  
tum loca similia ex auctoribus conferat, si quid diuersum, si  
quid affine, si quid imitatum, si quid allusum, si quid aliunde  
translatum, aut mutuo sumptum, vt sunt plæraq; latinorum  
a græcis profecta, ne id quidē taceat. Postremo ad philosophi-  
am veniat, & poetarum fabulas apte trahat ad mores, vel tan-  
quā exempla vt Pyladis & Orestis, ad amicitiae commenda-  
tionem. Tantali fabulam, ad auaritiæ detestationē. In his non  
mediocriter adiuvabit docentem Eustathius, Homerī inter-  
pres. Atq; ita fieri ( si modo sit ingenij dextri præceptor ) vt eti-  
am & si quid inciderit, quod inficere possit æratem illam, non  
solum non officiat moribus, verum etiam utilitatem aliquam  
adferat, videlicet animis partim ad annotationē intentis, par-  
tim ad altiores cogitationes auocatis, veluti si quis prælecti-  
rus secundam Maronis æglogam, cōmoda præfatione præ-  
paret, vel potius præmunit auditorum animos, ad hunc mo-  
dum, vt dicat. Amicitiam non coire nisi inter similes, simili-  
tudinem enim esse benevolentia mutua conciliatricem, cons-  
tra dissimilitudinem odij, dissidijq; parentem. Quoq; maior  
ac verior, stabiliorq; similitudo fuerit, hoc firmior, atq; arctis-  
or est amicitia. Id nimur sibi velle tot apud auctores pro-  
uerbia. Boni ad bonorum conuiuia, & inuocati accedunt. Et  
simile gaudet simili, & æqualis æqualem delectat, & aqua-

Iem tibi vxorē quare. Et vt, semper similem ducit deus ad si-  
milē, & semper graculus assidit graculo. Et similes hñt labra  
lactucas. Et cū pares parib⁹ facillime congregant̄. Et Cascus  
Cascam ducit. Et balbus balbū rectius intelligit. Et cicada cica-  
dæ chara, formica formicæ, Et Cretensis cum Aeginita. Con-  
tra tot dissimilitudinis adægia, nihil aliud sibi velle, q̄ inter eos  
qui dissimili sunt fortuna, dissimili vitæ instituto, dissimilibus  
studij, aut omnino non coire amicitiam, aut si coierit, nō co-  
hærere, citoc̄ dirimi, atc̄ ob id fieri, vt idiota studiosū literar-  
um oderit, prophanus sacerdotem, rusticus aulicum, iuu-  
nis senem. Atc̄ in eodem genere. Epicureus Stoicum, philo-  
sophus iuris consultum, poeta theologum, balbus eloquentē.  
Hinc geminorum gratiam fratrum, Amphionis & Zeti pe-  
ne dissiliisse, q̄ alter lyræ studiosus esset, alter agris colendis  
gauderet, ac dissilierat, nisi Amphion abiecta lyra, fratriis inge-  
nio cessisset. Ob eandem causam insyncæra fuit Castoris &  
Pollucis amicitia, neq̄ caruit infamia tentati parricidijs, cum  
vterc̄ eodem ex ouo essent prognati, vt iam magis esse ge-  
melli non possent, q̄ alter pugil esset, alter equis delectaretur.  
Hinc male conuenisse Remo cum Romulo, q̄ alter tristioris  
bus, ac seueris esset moribus, alter blandior, vnde & Romu-  
lo pro Remo mutatum nomen. Pessime conuenisse, Caym-  
cum Abel, q̄ diverso vitæ genere caperentur. Summum au-  
tem amorem, summæ similitudinis esse comitem, atc̄ ideo si-  
cium a poetis, quemadmodum Narcissus, ante ab omni ab-  
horrens consortio, simul atc̄ suam ipsius imaginem in limpi-  
dissimo fonte conspexisset, protinus amore flagrantissimo ce-  
pit ardere, quid enim nostri similius, q̄ ipsa imago? Et cū do-  
ctus doctū amat, sobrius sobriū, modestus modestū, probus  
probum, nihil aliud amat vterc̄, q̄ suam ipsius in altero ima-  
ginem, hoc est seipsum, sed alio modo. Verum ea similitudo  
quidem sita est in bonis animi, que vere sunt bona, hoc est

B. iii.

## DE PVERIS

pietate, iusticia, temperantia, tum eiusmodi nascitur amicitia, cuiusmodi sunt ex res, quibus amicitia conciliatur, hoc est honesta, vera, sincera, stabilis, æterna. Contra si rebus corporis ac fluxis, aut etiam turpibus, eam nec vere esse amicitiam, nec iucundam, nec diuturnam ostendet. Proinde Platonem duas finxit Veneres, alteram terrestrem alteram cœlestem. Duos item Cupidi dines, suæ vtrungq; matri respondentes. Cœlestem veras gigantes formas, & huius filium veros et honestos immittere amores. Inter bonos semper amorem esse mutuum, inter vulgas res plerumq; alterum amare, alterum odire, alterum prosequi, alterum fugitare, Id accidit fere propter ingeniorum vitæq; dissimilitudinem, quod quidem eleganter significat apud poetas Cupido, qui nonnunquam hunc aurea cuspide figit, illum plumbum bea, illum ut amet, hunc ut abhorreat, atq; hoc amicitiae generi nihil esse potest infelicius. Eius igitur amicitiae male coherentis quasi simulacrum quoddam, in hac ægloga proponit Vergilius. Corydon rusticus, Alexis urbanus. Corydon pastor, Alexis aulicus, Corydon indoctus ( nam huius carmina vocantur incondita ) Alexis eruditus. Corydon ætate prouectus. Alexis adolescens. Corydon deformis, hic formosus. Breuiter dissimilia omnia. Quare prudentis est amicū suis moribus aptū diligere, si velit amari mutuum. Hæc inquam si prefetur, tū aut locos demonstratorios perperā, & bucolice a rustico affectatos indicet, nihil opinor turpe veniet in mentem auditorib;. nisi quis iam corruptus accesserit. Nam iste venenum non hinc hauserit, sed huc secum attulerit. Hoc exemplum verbosius exposui, quo facilius in ceteris, item sibi quisque similia reperiatur, Iā in aggressu cuiuscumque operis conveniet in genere demonstrare, que sit argumenti natura, & quid in eo potissimum sit spectandum velut in epigrammatis argutā breuitate laudari, tum iocandis rationes, quas Fabius & Cicero tradunt, iudicabit. Hoc genus præcipue gaudere epiphonematis, cōmode in fine adie-

Etis, quæ cognitionem velut aculeatam in animo lectoris resiliuant. In tragœdia præcipue spectādos affectus, & quidē sere acriores illos, iij quibus rebus moueantur, paucis ostēdet. Tum argumenta veluti declamantium. Postremo descriptio-nes locorum, temporum, rerum, aliquoties & argutas alter-ationes incidere, quæ nunc distichis, nunc singulis versibus nunc hemistichijs absoluuntur. In comoedia cum primis obseruandum esse decorum, & vitæ communis imitationem, af-fectus esse mitiores, & iucundos magis & acres. Decorum autem in primis spectari, non solum illud cōmune, vt adoles-centes amēt, lenones peierent, blandiatur meretrix, obiurget senex, fallat seruus, iactet se miles, atq; id genus alia. Verum peculiare quoddā, quod suo arbitratu alijs aliud affingit poe-ta. Velut in Andria duos inducit senes, lōge diuerso ingenio. Simonem vehementem, ac submorosum, haud stultum ta-men, nec improbum. Cōtra Chremetem ciuilem, ac semper placidum, vbiq; sibi præsentem, omnia quantum potest pacā-cem, at ita tamen lenem, vt minime stupidum. Duos itē ado-lescentes dissimili natura. Pamphilum cordatum pro ratione ætatis, & consultabundum, sed acriorem, vt Simonis filium possis agnoscere. Ediuerso Charinum puerilem, ineptum, cō-silijs inopem. Rursum seruos duos diuersis moribus. Dauū vafrum & consilijs abundantem, ac sperandi pertinacissimū auctorem. E regione Birriam nullius consilij, tantum perpe-tuum desperationis auctorem hero. Ad eundem modum in Adelphis Mitione; etiam in obiurgando mitem, ac festiuum Demeam etiam in blandiendo amarulentum. Rursum Aeschinum propter urbanæ vitæ consuetudinem, & Mitionis fi-duciam nihil nō audientem, sed ita vt probū ingenium depre-hendas, officiosum in fratrem, fidum in puellā. Ediuerso Ctesiphontem subrusticum, ac timidum, propter earum rerū insolentiam. Syrum callidum, & audacem, nihilq; non simulan-

## DE PVERIS

tem, ac dissimulantē adeo, vt sola ebrietas detexerit illius fūcos. Dromonē stupidum, atq; hebetem. Sed ista persequi nō huius est instituti, in presentia satis est viā indicasse. In æglogis admoneat esse aurei sæculi, ac priscæ illi<sup>9</sup> vītē imaginem, Proinde quicquid illi c est sententiarum, similiū, aut comparationum, a vita pastorali sumi, affectus sunt simplices, canticis, sententijs, ac prouerbijs delectantur, superstitione &, augurijs capiūtur. Ad eundem modum, quid proprium habeat carmen heroicū, quid historia, quid dialogus, qd apolodus, quid satyra, quid oda, quid reliqua scripti genera curabit admonere. Tum quæ sint singulorum auctorum in singulis argumentis dotes, aut etiam vitia, nō grauabitur indicare. Quo iam tum assuescant adolescentes, ei quod est in omni re præcipuum ( iudicio ) atq; in parte præceptorem præter artem, & ingenium, adiuuabit etiam libellus Ciceronis de claris oratoribus, & Quintiliani, Senecæ atq; Antonij Campani de scriptoribus censuræ, neq; non veteres interpretes, præcipue Donatus hac in re peculiariter occupatus, Huc pertinet & consilij ratio, veluti quare M. Tullius in defensione Milonis finxerit sese timere, Et quare Vergilius tantopere laudibus vehat Turnum hostem Aeneæ, & quare abdicatus medicus apud Lucianum non ledit nouercam, sed magis laudat, & in patrem acrior est q; in nouercam. Sed id quoq; in immensū patet. At iudicabit aliquis hæc nimium habere negotij, equidem præceptorem eruditū, longoq; vsu exercitatū volo esse. Is si continget hæc etiam facile percipient pueri. Q; si qua initio erunt duriora, progressu & assuetudine mollescent. Optima certe sunt, nisi fallor & optimis conuenit statim assuescere, quanquā hæc nō ubiq; omnia sunt inculcanda, ne tædio grauent̄ ingenia discētum, sed vt inciderint insigniora. Neq; vero minorem adhuc beat curā præceptor in exigendo que cōmiserit, q; in prælegē

do Est omnino labor hic docenti grauissimus, sed discentibus  
utilissimus. Nec ordinem exigat dumtaxat, sed quicquid scitu dignum fuerit creditum, id assuēcant bona cum fide reddere. Nec vero deterreat ab hac re difficultas, quæ vel mēstruo temporis spacio vincitur. Mihi nunquā placuit, ut omnia dictata scribant adolescentes, sit enī hoc pacto, ut memoriae cultus negligatur, nisi si qui pauca quedā notulis velint excipere idq; tantisper donec vſu confirmata memoria, scriptū non desiderent adminiculum. Postremo tantum arbitror esse modetū in commoda docendi ratione, si modo diligens & eruditus contigerit præceptor, ut nō dubitarim meo recipere periculo, me minore negocio, ac paucioribus annis adolescentes ad utriusq; linguæ mediocrem etiam eloquentiam perducturum, modo dentur ingenia non omnino infelicia, q; isti literatores ad qualemcumq; illam suam balbutiem, vel infantiam potius prouehunt suos. His igitur rudimentis, puer in prima imbutus schola, deinde bonis auibus ad altiores disciplinas conferat se, & quocūq; se verterit, facile declarabit, quantope referat ab optimis auspiciis fuisse. Hæc habui in pñtia mihi charissime Petre, quæ tibi de studijs ratione scriberem, ea si placent viere, sin minus, sedulitatē certe nostram pro tuo candore boni consules. Tu modo perge ita ut instituisti, in bonas literas incubere, ac Galliam tuā alioqui florentissimam, honestissimis etiam studijs illustra, Vale.

F I N I S.

CONCIO DE PVERO IESV PRONVNCIATA  
A PVERO IN SCHOLA COLETICA  
VPER INSTITVTA  
LONDINI.

**P**er apud pueros verba facturus de ineffabili pvero IESV, non optarim mihi Tullianam illam eloquentiam, quæ brevi atq; inani voluptate aures deliniat. Quantum enim abest Christi sapientia a sapientia mūs

## DE PVERIS

di (abest autem immenso interuallo) tatum oportet christianam eloquentiam a mundana differre eloquentia. Sed illud una mecum ardentibus votis impetratis velim, ab optimi IHESV, optimo patre deo, a quo ceu fonte bonorum omnium summa perficitur, quod solus fœcundo illo suo spiritu linguis infantium reddit disertas, vel e lactnetium ore laudem absolutam depromere solitus, ut quemadmodum oīs nostra vita non alium exprimere debet, spiritū de quo dicturi sumus IESVM, ita & oratio nostra illum sapiat, illum referat, illum spiret, qui & verbum est patris, & verba vitae solus habet, cuius sermo viuus, & efficax penetrantior est quo quis gladio ansipiti, ad intimos etiam cordis recessus penetrans, utque ipse, de cuius ventre flumina promanant aquæ viuæ, non graues tur per organum vocis nostræ veluti per canalem, in omnium vestrum annos influere, multoque gratiæ coelestis irrigare succo. Id ita futurum confido cōmilitones mei charissimi, si prijs votis purgatas, ac vere sitientes aures adiungetis, eas videlicet aures quas æternus ille sermo requirens in euangelio, Qui habet (inquit) aures ad audiendū, audiat. Nos porro cur nō audeamus rem hanc arduam quidem illam, sed tamen piam aggredi, præseriū ipso adiutore deo in quo hoc plus potest mortalis infirmitas, quo min⁹ suis nititur viribus, & in q̄ Paulus oīa se posse gloriāt. Iā vero cū tanto studio flagrantisti, qui mundanæ, hoc est diabolicæ militiæ dedere nomina, usi suū, quicq; ducē laudibus vehant. Nobis qd prius aut antiquius eē debet, q̄ vt preceptorē, vīdicē imperatorē nīm IESVM ac eundē qdē oīm, sed tamen peculiariter nīm, id est puerorū principē, certatim prijs celebremus preconijs: Hūc in primis cognoscere studeamus, cognitū laudemus, laudatum amem⁹ amatum exprimamus atq; imitemur, imitantes eo fruamur, fruentes immortalis fœlicitate potiamur. Sed in tam vberē, tanq; immensa rerū copia, vñ quaeso initiū, aut vbi finē nīa repe-

riet oratio? cū is de quo loqui param<sup>9</sup>, fons sit, vel ( vt veri<sup>9</sup>  
dicā ) oceanus bonorū oīm. Verū vt ipse natura incōprehē  
sus, & infinitus, tñ seſe velut in arctū cohībuit cōtraxitqz, itidē  
& nostra oratio in explicandis ei<sup>9</sup> laudibus, quæ modū nesci  
unt, modū tñ ipsa ſibi faciat oportet. Evidē tria potissimū eē  
video, quæ vel discipulorū vel militū anīos ſolent ad gnauiſ  
ter agendū inflammare, ea ſunt ducis admiratio, amor, et prē  
miū. Itaqz quo præceptorī nōo ac duci IESV ſtudijs alacrio  
rib<sup>9</sup> paream<sup>9</sup>, agendū ſingulatim hēc in eo pia curioſitate cō  
ſiderem<sup>9</sup>. Primo loco qz ſit ſuſpiciēdus vndiqz, ac ſtupēd<sup>9</sup>. de  
ſinde quātōpere diligend<sup>9</sup>, atqz ob id imitandus, poſtremo qz  
ingens dilectionis fructus. Ac moſ quidem eſt rhetorum in  
hoc dicendi genere illuſtrium principum adhibere exempla,  
videlicet quo collatione crenat is quem conantur laudibus  
attollere. Verum imperator noſter vſcqz adeo ſuperat omne  
celſitudinis hūanę ſtaſtigiū, vt quicquid quantūuis eggrediū  
adhibueris, tenebras admoueris, non lucem. Cuius enim ima  
gines ac nataliū ſplendor non videatur eſſa ſum<sup>9</sup>, ſi cū IESV  
cōponas? qz quidē ineffabili, īmo etiā incogitabili ratione de  
us a deo ſemper abſcqz tempore naſcitur, æterno ſummoqz pa  
renti per omnia æqualis? Quanquā huius vel humana natu  
ras nonne facile regum omnium claritatēm obſcurauerit?  
Quippe qui ſtupente rerum natura, auctore patre, afflante  
ſpiritu, pronubo angelo, citra virilem operam, virgo de vir  
gine, cœlitus grauida, natus eſt homo in tempore, & rur  
sum ita natus homo, vt neqz deus eſſe defineret, neqz ſordi  
um noſtrarum quicquā omnino cōtraheret. Iam vero quid  
eo ſingi potest amplius, qui iuſſus per omnia, nullo ta  
men loco cohibitus, in ſeipſo manet īmensus? Quid illo diti  
us, qui ſummū illud eſt bonum, a quo bona promanant om  
nia, nec tamē ipſe diuinus potest? Quid illuſtri<sup>9</sup> eo, qui ſplen  
dor eſt paternæ gloriæ, quiqz ſolus illuminat omnem homi-

## DE PVERIS

nem venientem in hunc mundum? Quid illo potentius, cui  
pater omnipotens vniuersam tradidit potestatem in cœlo et  
in terra? Quid efficacius eo, qui simplici nutu condidit vni-  
uersa, ad cuius iussum silescit mare, vertuntur rerum spe-  
cies, fugiunt morbi, concidunt armati, pelluntur dæmones,  
seruiunt elementa, scinduntur petræ, reuulsunt mortui, re-  
sipiscunt peccatores, deniq; nouantur omnia? Quid augusti-  
us eo, quem admirantur superi, tremunt inferi, medius hic or-  
bis supplex adorat, ad cuius cōparationē summi reges nihil  
aliud q̄ vermiculos esse sese confitent? Quid eo fortius atq;  
inuictius, qui solus mortem alijs inuictam, sua morte deuicit,  
ac Satanæ tyrannidem cœlesti virtute demolitus est? Quid  
triumphatus eo, qui per fractis ac spoliatis inferis, tot pijs co-  
mitatus animabus, victor coelos adjit, ibi q; sedet ad dexteram  
dei patris? Quid illo sapientius, qui tam admirabili ratione  
cuncta cōdidit, vt vel in apiculis, tot tantaq; suæ sapientiæ re-  
liquerit miracula? quicq; tam stupendo rerum ordine, atq;  
harmonia nec tit, continet, administrat vniuersa, obiens om-  
nia, nec tamen a se ipso discedens, omnia mouens ipse immo-  
tus, omnia concutiens ipse tranquillus, postremo in quo id  
quod stultissimum est, vniuersam mortalium sophorum sapi-  
entiam longo superat interuallo. Cuius debet nobis esse gra-  
uior auctoritas, q̄ eius de quo pater ipse palam est testificatus.  
Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum au-  
dite. Quid æque reverendum, atq; is cuius oculis perspicua  
sunt omnia? Quid perinde formidandum atq; ille, qui solo  
nutu potest & animam & corpus in tartara mittere? Quid  
autē formosius eo, cuius vultum intueri summa est fœlicitas.  
Deniq; si multis precium reddit antiquitas, quid illo antiqui-  
us, qui nec initium habet, nec finem est habiturus? Sed fortas-  
se magis conuenerit, vt pueri puerum admiremur, quando-  
quidem hic quoq; stupendus occurrit, vscq; adeo quod illius

est insimū, sublimius est ihs quæ sunt apud homines excelsis sima. Quantus erat ille quem infantulum vagientem, pannosum, abiectum in præsepe, tamē cœlitus canunt angeli, adorat pastores, adorat & quæ genuit, agnoscent bruta animantia, indicat stella, venerantur magi, timet rex Herodes, trepidat omnis Hierosolyma, sanctus amplectitur Symeon, vaticinat Anna, in spem salutis eriguntur pñ: O humilem sublimitatem, & sublimem humilitatem. Si noua miramur, quid simile vñq; aut factū, aut auditū, aut cogitatā: si magna suspicimus, quid nostro IESV modis omnibus amplius, quē nulla creatura possit vel exprimere voce, vel cogitatione concipere. Hui⁹ magnitudinē qui velit oratione cōplecti, is multo stuſtius agat, q; si conetur vastissimum oceanum angusto exhaustire cyatho. Adoranda est eius immensitas, magis q; explicāda, quam vel hoc ipso magis mirari conuenit, quo minns aſsequimur. Quid n̄ nos id faciamus: cum magnus ille precursor indignum ſeſe pronunciet, qui corrīgia calciamentoꝝ eius ſoluat: Agite igitur pueri suauissimi, hoc tam inclyto puero IESV præceptore, hoc tā insigni duce sancta superbia gloriemur, huius sublimitas nobis ad pie audendum amicos addat, in hoc vno nobis ipſi placeamus, vt existimantes illius omnia nobis eſſe cōmunia, nosipſos meliores arbitremur, q; qui ſemel tali addicti imperatori, mundo vitijſve, ſordidissimis vtiq; dominis ſeruiamus.

## SECVNDA PARS.

Sed admirantur, & contremiscunt etiam dæmones, amant ſoli pñ: Quamobrem altera huius orationis pars, vt proprius ad nos pertinet, ita eſt attentioribus auribus accipienda, vide licet quot noībus IESV ſit nobis amandus, vel redemandus magis, vt qui nos & nondum conditos ante omne tempus.

C

DE PVERO IESV

amarit in se, i quo iā tū erant oīa. Itaq; nativa sua bonitate cū nihil essem⁹, nos finxit, finxit aut non quodvis animal, sed hominē, & finxit ad sui ipsius imaginē, hoc est summi boni capaces, ac sacro sui oris afflatu spiritū vitalē indidit. Ad hæc ceteris animantibus imperio nostro parere iussis, quietiā angelis in nostri tutelam designatis, latissimā, ac pulcherrimā mundi fabricā nostris addixit vībus. In qua nos velut in admirabili quodā theatro constituit, vt in rebus creatis opificis sapientiā admiraremur, bonitatem amaremus, potentiam venerare mur, quoq; id magis fieret, tot animi dotibus ornauit, tam perspicaci ingenij lumine condecorauit. Quid hoc animante fingi poterat vel admirabilius, vel fœlicius? Sed o semper fœlicitatis comitem inuidiam. Rursus serpentis astu in peccatum hoc est plusquā in nihilum relapsus est miser. Sic hic tu rursū optime IESV, q̄ ineffabili consilio, q̄ inaudito exemplo, q̄ incomparabili charitate, tuum figmentum restituisti. Nam ita restituisti, vt labi propermodum expedierit, eamq; culpam quidam non absurde fœlicem vocauerit. Omnia debeamus conditori, at reparatori plusquā omnia debemus. Vltro te metipsum e regno patris in hoc nostrum exilium demisisti, vt vi nos in Paradiso exactos, coeli ciues redderes, nostram humanitatem assumpsisti, vt nos in tuæ diuinitatis consortium ascisceres, nostrum hunc limum induisti, vt nos immortalitas gloria vestires, nostra tectus forma, nobiscū in hoc calamitoso mundo cōplures annos agere voluisti, vt vel sic in tui raperes amore, nud⁹ in hāc lucē, īmo noctē emeristi, nobiscū, atq; adeo nobis vagisti, sitisti, esuristi, alsisti, aestuasti, laborasti, delassat⁹ es, egisti, vigilasti, ieiunasti tot malis nřis obnoxius esse voluisti, vt nos ab omnibus exemptos malis, in tui, hoc est summi boni cōmunionem assereres. Deinde per omnem sanctissimę vitę tuę seriem q̄ efficacibus exemplis animos nostros inflamas; q̄ salutaribus preceptis erudis, ac

formas: q̄ stupendis miraculis expergesfacis: q̄ blādis mo-  
nitis trahis: q̄ certis promissis inuitas: vt non sit alia com-  
modior via ad te, nisi per teipsum, qui vnuis es via, veritas, &  
vita. Sed viam nō indicasti modo verum etiam aperuisti, dū  
pro nobis vinciri, trahi, damnari, rideri, cædi, conspui, vapu-  
lare, probris affici, demum & in ara crucis agnus sine macula  
immolari voluisti, vt nos tuis vinculis solueres, tuis sanares  
vulneribus, tuo lauares sanguine, tua morte ad immortalita-  
tem eueheres. In summa totum te nobis impendisti, vt tui ( si  
fieri posset ) iactura nos perditos seruares, vitæ redditus to-  
ties tuis apperuisti, atq̄ illis intuentibus patrem repetisti, vs  
mēbra confiderent eo se peruetur, q̄ caput iam præcessisse cō  
spicerent, deinde quo magis confirmares amicos, patre plas-  
cato egregiū illud perpetui amoris tuis pignus missisti, sacrū  
illum spiritū, quo mortui mundo longe verius ac fœlicius ī  
viueremus in te, q̄ nostro hoc spiritu viuimus. Quæso quid  
his summæ charitatis argumentis poterat accedere? Ne hæc  
quidē tam multa, tam magna flagrantissimo tuo in nos amo-  
ri sat erant. Quis enim cōmemorare possit, quod martyrum  
mortibus nos ad huius vitæ contemptum animas: quot vir-  
ginū exemplis ad continentia accendis: quot sanctorū mo-  
numentis ad pietatem sollicitas: q̄ admirandis ecclesiæ tuæ  
sacramentis communis pariter ac ditas: vt consolaris, erigis,  
armas, doces, mones, trahis, rapis, mutas, transformas  
nos arcans tuis literis, in quibus viuas quasdam tui scintil-  
lulas condivoluisti, magnum amoris incendium excitatu-  
ras, si quis modo pia diligentia connetur excutere. Deniq̄  
q̄ vndiq̄ nobis obuius es, ne quando liceat obliuisci tui.  
Ad hæc q̄ paterne toleras peccantes: q̄ clementer recipis  
ad te redeuntes: Nec imputas benefacta tua gratis, nec res  
sipientibus nostra imputas male facta, vt subinde tacis-  
tis vellicas, ac trahis instinctibus: vt emendas aduersis:

C ij

## DE PVERO IESV

ut allicis prosperis : ut omnē moues lapidem : ut nusquā cel  
sat ardentissima charitas in fouendis, afferendis, tuēdis, bean-  
dis nobis : Sed q̄ pauca de tam innumeris perstrinximus cō-  
militones : & tamē videtis q̄ sit immensus beneficiorū acer-  
uus. Eat nunc qui volet, & Pyladas, Horestes, Pírithoos,  
Theseos, Damonas, ac Pythias verbis phalerat efferat mera  
prē his nugamenta. Atq̄ hæc quidem contulit vltro nihil  
promeritis, immo transfugis atq̄ hostibus, & a quibus  
nihil omnino mutui beneficij redire poterat. Si mediocribus  
officijs homines ad amandū hominē accendimur, hunc con-  
ditorē, vindicē, sic amātē, sic promeritū, non saltē redamabi-  
mus : quandoquidem hanc solam gratiā ille a nobis reposcit  
quā tamē ipsam in nostrū refundit lucrū. Adamas sanguine  
mollescit hircino, aquilæ, leones, pardi, delphines, dracones  
agnoscunt, ac referunt beneficū. & o duritiā cordis humani  
plusq̄ adamantinā, si tam in inaudita charitate non mitescit,  
o ingratitudinē plusquā beluinā, si tātorū meritor̄ potest ob-  
liuisci, o singularē impudentiā, dicā an potius dementiam, si sic  
cōditus, sic restitutus, sic locupletatus, tanta obrutus benefi-  
centia, ad tantas vocatus spes, quicquā amare pōt, prēter illū  
vnum, in quo, & a quo sunt omnia, quiq̄ nobis omnia secū  
impertit. Porro aut̄ quanq̄ hæc mortalis omnis cōpletebitur,  
tamē nos illi peculiariter debem⁹, propterea q̄ i nīm, hoc est  
puerorum ordinem singulari quadā propensione, atq̄ indul-  
gentia fuisse sese pluribus declarauit argumentis. Primum, q̄  
ita vt erat vatū oraculis promissus, puer paruulus nasci volu-  
it, cum esset immensus. Prēterea q̄ adhuc vteri virginei late-  
bris inclusus, infantis itē nondum nati gestu, atq̄ exultatione  
gauisus est salutari. Deinde q̄ statim innocentū puerorum  
sanguine suam natuitatē voluit cōsecrari, vt his quasi veliti-  
bus dux inuictus bellum auspicaretur. Adde his, q̄ instantे  
morte triumphali Hierosolymam veniēs, puerorū occursu,

atq; officio decorari, puerorū voce suas laudes decātari ma-  
luit, iam vero q; amantē, quāq; sollicitū puerorū patronum  
agit & cū matribus infantes suos offerentibus, vt IES V con-  
tactu consecrarent, discipulis ne possent admitti vetantibus  
indignans, Sinite ( inquit ) paruulos venire ad me. Necq; ve-  
ro pueris benedixit tñ, verū etiā negat vlli mortaliū aditū pa-  
tere in regnū, nisi qui ad paruulorū formā descenderit. Rur-  
sum q; amanter & illud & cū tam grauter deterret ab offendē  
dis pusillis, affirmans magis expedire, vt molari saxo collo al-  
ligato præcepī mare detur aliquis, q; vt vnum quemlibet ex  
his paruulis offendat Atq; his q; insigne addidit eulogium ad  
puerorū commendationē & Amen dico vobis, angeli eorum  
semper vident faciem patris. Gratias agit tibi tuus, tibiq; dica-  
tus grex IES V præceptor, cui quæso vt sacras tuas manus  
semper admouere velis, & ab omniscandalo procul arceas.  
Quid illud & nonne magnū amoris indicium, cū puerum in  
medio collocatū discipulis eum exemplum præponit; nisi in-  
quiens, conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruulus iste, nō  
intrabitis in regnū cœlorū. An non eodem pertinet & cū Ni-  
codemo sc̄scitanti, qua via possit ad vitam immortalē per-  
tigere, iubet vt denuo renascatur, hoc est in puerum redeat.  
Vſq; adeo Christo duci nostro placuit infantia, vt senes etiam  
cogat repuerascere, si modo velint in illius admitti consortiū,  
extra quem nulla salutis spes est. Necq; vero a Christo disfo-  
nat Petrus, cum admonet, vt tanquā nuper editi infantes lac-  
concupiscamus. Necq; discrepat Paulus, Filioli mei inquiens,  
quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis,  
Idem paruulos in Christo lacte potat. Multa sunt id genus lo-  
ca in mysticis literis. Omnino Christianismus nihil aliud est q;  
renascentia q; repuerascentia quædam. Magnum igitur pue-  
ri, magnum pueritiae sacramentū, qua IESVS tantopere de-  
lectatus est. Non contemnamus ætatem nostram, quam ves-

C iii

## DE PVERO IESV

rus ille rerum æstimator tanti fecit. Tantum demus operam,  
ut eiusmodi simus pueri, cuiusmodi diligit IESVS. diligit au-  
tem innocuos pueros, dociles, simplices atq; illud interim me-  
minerimus hanc deo gratam pueritiam, non in annis esse sita,  
sed in animis, non in temporibus, sed in moribus. Est enim  
præpostorum quoddam, nobisq; magnopere fugiendū pue-  
rorum genus, qui mēto lœui, mente sunt hirsuta, & ætate im-  
puberes, vitiosa astutia senes sunt. Est igitur nouū quoddam  
pueritiae genus quod a Christo probat, pueritia citra pueris-  
titatem, & omnino senilis quædam pueritia, quæ non annoꝝ  
numero constat, sed innocentia, sed ingenij simplicitate, An-  
non id palam indicat Petrus, cum ait. Deponentes igitur om-  
nem malitiam, & omnē dolum, et simulationes, et inuidias, et  
detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabile, & sine  
dolo lac concupiscite, vt in eo crescat in salutem. Cur addi-  
dit rationabile? nempe vt excluderet stulticiā, q; hui⁹ vere etas-  
tis consueuit esse comes. Cur detrahit inuidias, simulationes,  
ac reliqua id genus vitiā, quæ senum sunt quasi peculiaria? ni-  
mirū vt intelligeremus Christi pueros simplicitate ac puritas-  
te æstimare, non natalibus. Ad eundem modum & Paulus,  
Malicia inquit, paruuli estote, sensibus autem perfectii, Q; q;  
est omnino in ipsa puerorum ætate nativa quædam bonitas,  
ac velut umbra quædam, ac simulachrū innocentiae, vel spes  
potius atq; indoles futuræ probitatis Mollis, & in quēuis has-  
bitū sequax anim⁹, pudor optimus innocentiae custos, in-  
genium vitijs vacuum, corporis nitor, ac veluti flos quidam  
vernantis æui, et nescio quomodo quiddā spiritibus cognas-  
tū ac familiare. Neq; n. temere fit, vt quoties apparent ange-  
li, puerili spē sese offerat oculis, quinetiā magis si q;n suis incan-  
tamentis spiritū eliciunt, in puerile corpus ferunt accersere, at  
quāto libentius spūs ille diuin⁹, pijs ac sanctis euocatus votis  
in huiusmodi domicilia demigrabit; ergo ad has naturæ do-

tes si accesserit summi illius & absoluti pueri imitatio, tum des-  
mū & grati in illū, & illo digni pueri videbuntur. Etenim sic  
promeritū quis possit nō amare? Verū enī uero ea verī amo-  
ris vis est, vt eius quod ames q̄ simillimus esse cupias. Quod  
si in nobis efficit amor humanus, quantū æmulādi studiū ex-  
citabit amor diuinus, cui ille collatus vix amoris vmbella est.  
Proinde si vere atq; ex anō non verbo tenus IESVM ama-  
mus, IESVM pro nřa virili conemur exprimere, vel potius  
in illū transformari. Q; si verū assēqui non possumus, saltem  
pueri puerum imitemur, q̄q; hoc ipsum facin⁹ est haud quaq;  
puerile, īmo senilib⁹ etiā viribus maius, sed quod fere nūsq;ā  
succedat fœlicius q̄ in pueris. Etenī quoties negotiū ab hu-  
mano pendet præsidio, tū robur, ætas, sexus expendit, verū  
vbi gratiæ res agit, non naturę, tū hoc efficacius exerit sese mi-  
raculū sp̄ritus, quo minus erat opis, ac fiduciæ in carne. De-  
nīq; quid dubitemus, aut diffidamus? ipso formante, singen-  
te, ac transformante nos, quē conemur exprimere? Quis Da-  
nieli puerο tantum addidit prudentiæ? quis puerο Salomonī  
cantum tribuit sapientiæ? quis tribus illis pueris tantum ad-  
iunxit tolerantiæ? quis puerū Hely dignum diuino fecit allo-  
quio? qs Nicolao puerο? quis Egidio? quis Benedicto?  
quis Agneti? quis Ceciliae, quis tot tam teneris virgunculis,  
tam masculam atq; inuictam virtutem dedit? Profecto non  
natura, sed gratia, & vbi minus succurrit natura, ibi mirabilis  
us operatur gratia. Hac igitur freti, magno animo studium  
æmulandi puerum IESVM capessamus, nec vñquam oculi  
nos ab eo velut a scopo deflectamus. Absolutum exemplar  
habemus, nihil est quod aliunde petere oporteat. Omnis illi-  
us vita, quid nos sequi debeamus, clamitat. Quid aut docuit  
puer ille purissimus de purissima virgine natus? nisi vt omnē  
huius mundi spurcitiā & inquinamenta vitemus, atq; angelī  
cam quandā vitā iam nunc in terris meditemur, hoc est, id esse

## DE PVERIS

meditemur, quod illic semper sumus futuri. Porro spūs IE-  
SV cū omneis sordes auersat, & odit, tū præcipue beluinam  
illā, et prorsus hoīe indignā libidinē. Quid aut̄ docuit nos, na-  
tus peregre, editus in tuguriolo, abiecius in præsepe; pannis  
inuolutus c̄ nisi vt semper meminerim⁹ nos hic paucorū dies  
rum hospites esse, vtq; calcatis opibus, spretis mundi falsis ho-  
noribus, per pios labores ad cœlestem illam patriā expediti  
festinemus, in qua iam nunc animo viuamus oportet, etiam si  
corporeis interim pedibus terrā contingimus. Rursum quid  
admonuit in Aegyptum aufugiens: nisi vt inquinatorum cō-  
mercium modis omnibus deuitemus, qui IESVM in no-  
bis, hoc est innocentiam, ac mundi neglectum conantur extin-  
guere. Quid vero docuit circumcisus: nisi vt omneis carnis  
affectus ad Christus properantibus obstrepentes ampute-  
mus, ac tanq; in nobis ipsis mortui, solo IESV spiritu duca-  
mur ac vegetemur? Quid ducuit oblatus in templo, nisi vt  
totos nos ab ipsa iā infantia deo rebusq; sacris dēdicem⁹, cōse-  
cremusq; ac protin⁹ recenti adhuc mētis testa IESV imbibā-  
mus: Ne enim vlla ætas descendam pietatem immatura est,  
immo non est alia magis tempestiuia ad discendum Christum,  
q̄ ea quæ mundum adhuc nescit. Iam ipsi apud vos æstimate  
pueri, puer ille sic natus, sic deo dicatus, q̄ sanctis studijs totā  
pueritiam transegerit. Non ocio, non cibo, non somno, non  
ineptis lusibus, non stultis fabulis, nō euagationibus, quem-  
admodum puerorum vulgus facit, sed aut parentum obse-  
quijs, aut sacrī orationibus, aut auscultandis doctorib⁹, aut  
pijs meditationibus, aut sanctis ac serijs cū æqualibus pueris  
colloquijs. An non hæc, & multa similia summātū cōplex-  
us est sanctus Lucas: cū scribit ad hunc modū. Puer cresce-  
bat, & confortabatur plenus sapientia, & gratia dei erat in il-  
lo. An nō palā videtis nouū pueritiae gen⁹: De pristinis pue-  
ris dictū est, Stulticia colligata est ī corde pueri. De nouo hoc

auditis, plen<sup>9</sup> sapientia. Quid adhuc etatis inscitiam præteximus? cum audiamus non sapientem, sed plenum sapientia puerum. Videte ut omnē rer<sup>e</sup> ordinem hic puer inuertit, qui loquitur in Apocalypsi, Ecce ego noua facio omnia. Perdit sapientia senū, ac prudētia prudētiū reprobat, ac pueri implēt sapientia. Nimirū hoc nomine gratias agens patri, Qm̄ inquit, abscondisti hęc a sapientib<sup>9</sup>, & reuelasti ea paruulis. Porro ne stultā huius mundi, ac fucatā sapientiā affectaremus, p<sup>o</sup>tinus adiecit, et gratia dei erat in illo. Is vero demū sapit, qui mundo desipit, & nil nisi Christum sapit. Is non e philosophorum libris, non e scoticis argutījs, sed syncra fide cognoscitur, spe tenetur, charitate deuincitur. Iam vero q̄ multa docuit: vbi duodecim natus annos a parentibus furtim subducit sese, ne inter notos quidē ac propinquos repertus, post triduum deniq̄ inuentus est. Sed vbi tandem iuuentus? Num in circulis? nū in choris? nū in vijs aut foro? Audite pueri, vbi repertus sit IESVS, relicts parentibus quodammodo fugitiuus, & vbi vos versari cōueniat intelligetis. In tēplo inquā inuentus est in medio doctorū sedens, audiēs illos, ac vicissim interrogans. Quid docuit nos IESVS his tam admirandis factis? Non dubiū quin rem magnā, rē seriā, rē imitandam docuerit. Quid autē? quid? nisi vt grādescēti in nobis Christo, quandoquidē & in nobis nascit, & habet suos ætatū gradus, donec occurramus in virū perfectū, & in mensurā plenitudinis eius. Ergo cū grandescit in nobis, docet vt naturales parentū & amicorū affectus in deū transferam<sup>9</sup>, nihil hic amem<sup>9</sup>, nihil miremur, nisi ī Christo, et Christū ī oīb<sup>9</sup>. Memineris verū patrem, patriam, cognatos, amicos habere in cœlis. Verum ne quis imaginetur hunc parentū neglegiū fastū, aut inobedientiā sapere, cōsequitur, & erat subditus illis. Immō nemo suos parētes verius amat, nemo magis pie, colit, nemo obseruatius morē gerit, q̄ qui sic contemnit. Quid autē est se-

## DE PVERO IESV

dere in templo, nisi in rebus sacris conquiescere, & ad discen-  
dū animū ab omnibus tranquillū curis adferre: Nihil autem  
vitijs est turbulentius, & ocīū ac quietē amat sapientia. Iam a  
quo tandem nos grauenur discere, q̄ attentas aures præcepto  
ribus præbere conuenit, cū puer ille cœlestis, sapientia dei pa-  
tris, in medio doctorū sedeat, audiēs vicissim, ac rñdēs, sed ita  
respōdēs, vt oēs eius sapientiā admirarēt. Nec id mirū, cū is  
esset, ad quē oīs mundi sapientia stulta est. Præclara res legū  
prudētia, egregia res philosophiæ cognitio, suspicienda res  
theologiæ professio, verū si quis IESVM audiat, illico stultes  
cunt oīa. At nostra responsio, si sapiētię miraculū excitare nō  
potest, certe sapiat modestiā, sonet innocentiā. Rursum obse-  
cro, q̄ morigeros, q̄ obsequētes nos esse decet parentibus ac  
præceptoribus, quos potiores velut ingenij parentes habe-  
mus, posteaquā ille dñs omniū, cū a parentibus non intellige-  
ref, tamen subditus illis redierit in Nazareth. Debet hoc pie-  
tati, debet parentū reuerentiæ, vt aliquoties illorū voluntati  
concedamus, etiā si nos meliora viderimus. Sed iam operæ  
preciū est audire, q̄ apto fini Lucas IESV pueritā cōcluserit.  
Et IESVS ( inquit ) proficiebat sapiētia, ætate, & gratia apd  
deū et apud homines. Q̄ multa q̄ paucū nos docuit. Primū  
cū ætatis accessione, pietatis itē accessionē oportere copulari,  
ne illud in nos iure dici possit, quod in hominū vulgus diuus  
dixit Augustinus. Qui maior est ætate, maior est iniquitate.  
Neve in hoc pulcherrimo certamine vnquā restem⁹, aut nos  
assequutos arbitremur, sed in morē currentiū in stadio a ter-  
go relicta negligentes, in anteriora nitamur, ac semper a bo-  
nis ad meliora, a melioribus ad optima proficere conemur,  
donec ad metam hoc est huius vitæ finem peruentum erit. So-  
crates iam admodum senex perinde quasi nihil sciret, ita sem-  
per & a quo quis discere sitiebat. Itidē et nos quo maḡ in Chrl  
fuerimus, hoc minus nobis placebimus, si modo vere.

## CONCIO

## XVIII.

Mlo fuerimus progressi, adeo φιλαντια pestis est & studiorū,  
& pietatis, ac iuxta Fabiū prēcox illud ingeniorū genus, non  
temere peruenit ad frugem vel eruditio[n]is, vel innocentiae.  
Equidē nec ordinē ociosum esse puto apud deū, & apud ho-  
mīnes, vt intelligamus in primis dandam operam, vt vita nra  
deo placeat. Id agentes, hūanius fauor vltro cōsequēt. Nihil  
enī virtute pulchrius, nihil amabilius, quā laus hoc magis se-  
qui solet, quo minus appetit. Paucis vt potuimus, vobis ex-  
pressissimus exemplar pueri, quē & amare plurimū, & imitari  
studiosissime debemus. Atq[ue] oīno tantū videbimur amare,  
quantū fuerimus imitati. Rursum tanto plenius imitabimur,  
quanto amabim⁹ ardenter. Proinde hoc ipsum ab illo quo-  
tidianis ac puris precibus flagitemus, vt nobis donet amore  
sui flagrare, sui similes euadere, hoc est castos, puros, incōta-  
minatos mites, simplices, tractabiles, expertes fuci, ignaros  
doli, nescios inuidiae, parentibus morigeros, præceptoribus  
dicto audientes, mundi contemptores, rebus diuinis addic-  
tos, p[ro]ijs literis intentos, nobis ipsis quotidie meliores, pro-  
batos superis, gratos hominibus, odore bonę famā q[uod] pluri-  
mos ad Christum allicentes. Hec inquā assidue flagitemus,  
hac manib⁹ pedibusq[ue] conemur, dum habilis ætas, breui alioz  
qui fugitura. Etenim si recte monuit Fabius, optima statim  
ac primo discenda, quid prius disci debet, q[uod] Christus, quo ni-  
hil est melius? immo quid aliud discere oportet christianum,  
q[uod] eum virum quem nosse vita est æterna? quemadmodum  
ipse testatur patrem orans in euangelio. Id si curabimus, vt  
cunct⁹ pro virili gratiā referemus, tam singulariter de nobis  
merito, & illi referendo gratiam, ipsum nobis lucifaciemus.  
Referemus autem hoc plenius, quo vehementius redamabi-  
mus. Porro hoc magis illum redamabimus, quo magis vita  
ac moribus exprimemus. Iam quo magis exprimemus, hoc  
magis ipso locupletabimur.

## DE PVERO IESV

### TERTIA PARS.

¶ At interim nonnullis forsitan succurret animo, duram hanc  
eē militiā, repudiatis oībus, cū Christo crucē tollere. Sed me-  
mineritis fratres dilectissimi, longe diuersam mūdi & Christi  
esse naturā. Mundus ceu fucata meretrix, prima fronte blan-  
dus nobis, & aureus occurrit, postea quo ingrediare altius,  
quo proprius inspicias, hoc magis ac magis tetra, putida,  
sellita sunt omnia. Ediuerso Christus procul intuentibus du-  
rior appetet, dum cruces videmus, dum voluptatum ac vi-  
tae cōceptū. Verū si quis fidenti anio totū sese in illū reīciat,  
reperiet nihil esse mollius, nihil expeditius, nihil dulcior. Nisi  
forte verū nō dixit veritas in euangelio, cū ait. Tollite iugum  
meū super vos, & inuenietis requiē animabus vīris, iugū enī  
meū suaue est, & onus meū leue. Hæc nimirū vere est ardua  
illa virtutis vīa, quā & olim tanto ante Christū, vt cunq̄ som-  
niauit Hesiod⁹, p̄mo adītu asperior, p̄gressu sp̄ & facilior, &  
amoēnior. Sed quid tandem asperū videri pōt, q̄ ad tā ingēs, tā  
certū itur præmiū? Si iuxta Sapientis dictū, spes præmij mi-  
nuit vim flagelli, quis in hac momētanea vita, nō leue, nō dul-  
ce iudicet, quo cœlestē illā, & nunq̄ desitūrā sibi paret vitam,  
æternū regnare cū Christo assidue, summū illud intueri bonū  
versari in angelorum contubernio, ab oī malorū metu pro-  
cul abesse? Quis oro tantū hoc præmium, nō vel sexcentis  
mortibus emptū velit? Atqui hoc tantū donatiū pollicetus  
militibus suis imperator noster IESVS, qui neq̄ fallere pōt,  
neq̄ mentiri nouit. Iam apud vosmetip̄sos expēdite fructus,  
æternitatē, ac magnitudinē, cōtra q̄ breue huius militiæ t̄ps,  
nimirum haud longius ipsa vita, quæ quid aliud est, q̄ vapor  
ad exiguum tempus apparens, aut vnius horæ somnium?  
Sed agendum de hoc interim inæstimabili præmio sileamus,  
atq̄ inspiciamus q̄ abunde magna mercede dux noster mili-  
tum suorum labores etiam in hac vita comp̄set, quancq̄ dis-

## CONCIO XIX.

parē metant messem, qui mundo militant, & qui merent sub Christo IESV. Audiamus quid ipsi dicant īpij in libro Sapientiae Lassati sumus in vita iniquitatis, & perditionis, ambulauimus vias difficiles, viā autē domini ignorauimus, Illestat mūdus fucatis honorū simulacris, quæ nihil aliud sunt, q̄ mel lita venena. Mox attractos, & velut inauictoratos, deū immortalem, in q̄s curas, q̄s sollicitudines, quas turbas, quæ dispendia, quæ dedecora, in quā conscientiæ mentis carnificinā, in quam infelicem exitum miseris adducit, ut hic quoq; iam abunde magnas īpietatis pœnas dedisse videant̄, etiā si nulli consequantur inserti. At qui reiectis mundi fucis, in IESVM hoc est summū bonū omnē amorē, curā, studiūq; transferunt, totiq; ab illo pendentij, iuxta p̄missū euangelicū, nō mō vitā æternā possidebunt, verū etiā in hoc sæculo centuplū accipiēt. Quid est autem accipere centuplū? Nempe p̄ fucatis bonis vera, p̄ incertis certa, pro fluxis æterna, p̄ veneno tincis syn- cera, pro curis ocium, pro sollicitudine fiduciam, pro turbulētia trāquillitatē, p̄ dispendijs vnitate, pro magnit̄s integritate, pro conscientiæ cruciatu secretū & ineffabile gaudiū, pro turpi atq; infelici exitu, gloriosam ac triumphalem mortē, Spreuisti diuitias amore Christi, in ipso vero inuenies thesauros, res fecisti falsos honores, in hoc longe eris honoratior, neglexisti parentum affectus, hoc indulgentius souebit te pater verus, qui est in cœlis, pro nihilo habuisti mundanam sapientiam, in Christo longe verius sapies, ac fœlicius, aspernatus es pestiferas voluptates, in ipso multo alias inuenies delicias, breuiter ubi arcanas illas, sed veras opes Christi, dispulsa mundi caligine, videris omnia quæ prius arridebant, quæ solicitabant, ea non solum admiraberis, sed perinde vt pestes quasdam fugies, reīcies, auersaberis, Fit enim mirum in modum, vt simul atq; coelestis illa lux animos nostros penitus attigerit, protinus noua quedam rerum omniū facies oboriatur. Itaq;

D

## DE PVERO IESV

quod paulo ante dulce videbat, nūc amarescit, quod amarū, dulcescit, quod horrēdū, blandit̄, quod blādiebat̄, horrescit, quod splendidū ante, nunc sordidū, quod potēs, infirmū. qđ formosū, deformē, quod nobile, ignobile, qđ opulentū, e ge- nū, qđ sublīme, humile, qđ lucrū, damnū, qđ sapiens, stultū, qđ vita, mors, qđ experendū, fugiendū. & contra. Ut repen- te mutata rerū specie, nihil minus esse iudices, qđ id quod esse videbant̄. Ergo in vno Christo compendio ac vera reperiūt̄ oīa bona, quorū inanes, ac mendaces imagines, & vmbrae, ceu præstigias mundus hic ostēdit, quas miserū mortaliū vul- gis tanto animi tumultu, tantis dispendijs, tantis periculis, p- fias nefasq; persequit̄. Quā obsecro beatitudinē cū hoc animo conserre queas: qui iam liber sit ab errore, liber ab affectib;, securus semper gaudens ob testimoniuū conscientiæ, nulla de- refollicitus, altus, sublimis, ac cœlo proximus, iamq; supra sortem humanam qui in Christo excelsissima petra nīxus, omnes huius sæculi fucos, tumultus, procellas ex alto rideat, negligat, vel potius commiserat. Quid autem timeatis, qui pro pugnatiōrem habeat deū? Ignominia? At summa est gloria pro Christo ignominia pati. Paupertatē? At opū sarcinā lus- bens abiicit, quisquis ad Christum properat. Mortē? At ea maxime in votis est, per quā scit sese ad imortalē vitā eē trans- mittendū. Qua de re sit sollicitus, cuius pater coelestis etiā pi- los habet annumeratos? Quid autem cupiat is, qui in Chris- sto possidet omnia? Quid enī nō cōmune membris & capi- ti? Iā vero quanta est hoīs non mō fœlicitas, verū etiā digni- gas, viuū esse membrū sanctissimi corporis ecclesiæ, idem esse cū Christo, eandē carnem, eundem spiritum, cōmunē cū illo habere patrē in cœlis. Christū habere fratrem, ad cōmunem cū illo hereditatem destinatum esse, breuiter iā non hominem esse, sed deum? Adde his gustum quendā fœlicitatis futuræ, quem pie mentes subinde percipiunt, Hæc nimirū viderat,

Hæc senserat propheta, cū ait. Nec auris audiuit, nec oculus vidit, nec in cor hoīs ascendit, quæ præparasti deus diligentibus te. Proinde charissimi sodales, si dabimus operā, vt vere Christi membra simus, iuxta aliud propheticū dictū. Iustus ut palma florebit, etiā in hac vita ppetua quadā adolescentia vernalis, nō aīo tūm, verū etiā corpe. Etenim quēadmodū floribus ille IES V sp̄iritus in nīm sp̄iritū redundabit, ita noster visissim in suū corpū influet, & quoad fieri potest, in se se transformabit. Nec poterit tantus ani ac corporis nitor vestiū sordes ferre, Nam animus noster habitaculū est dei, animi domiciliū est corpus, porro vestis & ipsa corporis, quodammodo corpus est. Ita fiet, vt capit̄is puritat̄ totus homo respondeat, donec peracta hac vita ad immortalitatem traducatur.

## EPILOGVS.

**A**gite igitur optimi cōmilitones, ad hanc tantam fœlicitatē summīs viribus enitamus, ducem nostrum IESVM vnum admirēmur, quo maius nihil esse potest, imo sine quo nihil est oīno magnū. Hunc vñū amemus, quo nihil esse melius potest, immo extra quē nihil est omnino bonū. Hunc imitemur, qui solus est verū & absolutū pietatis exemplar, extra quem quisquis sapit, desipit. Huic vni inh̄eremus, hunc vnum amplectamur, hoc vno fruamur, in quo est vera pax, gaudium, tranquillitas, voluptas, vita, immortalitas. Quid multis summa bonorum est omnium. Extra hunc nihil suspiciamus, nihil amemus, nihil appetamus, huic vni placere studeamus. Meminerimus nos sub illius oculis, & illius angelis testibus, quicquid agimus agere. Zelotypus est, nec ullas mundi sordes patitur. Quare puram, & angelicam in illo vivamus vitam, ille sit nobis in corde, in ore, in omni vita, Hunc penitus sapiamus, hunc sequamur, hunc moribus exprimamus. In illo negotium, otium, gaudium, solatiū, spem, præsidū omne collocemus, Hic a vigilantium animis nund.

D ij

## DE PVERO IESV

discedat, hoc dormientibus occurset. Hunc & literæ nostræ,  
& lusus etiam sapient, per hunc et in hoc crescamus, donec oc-  
curramus in virum perfectum, & gnauiter obita militia, per-  
petuum cum illo triumphum agamus in coelis. Díxi.

Concionis de puerò IESV.

F I N I S.

D. ERASMI ROTERODAMI, VTRIVSQUE  
LINGVAE DOCTISSIMI, EXPOS.  
TVLATIO IESV CVM HOMINE  
SVAPTE CULPA PER-  
EVNTE.

**C**um mihi sint vni bona, quæ vel frondea tellus,  
Vel Olympus ingens continet,  
Dicite mortales, quæ vos dementia cœpit?  
A Hæc aucupari ut vndeuis  
Malitis, q̄ de proprio deposcere fonte,  
Adeo benigno, & obuio?  
Mendacesq; iuuet trepido, miseroq; tumultu  
Vmbras bonorum persequi?  
Pauci me, qui sum veræ largitor & auctor  
Fœlicitatis, expetant?  
Forma rapit multos, me nil formosius usquam est,  
Formam ardet hac nemo tamen  
Suspiciunt Ceras, antiquaq; stemmata multi,  
At me quid est illustrius?  
Ut quisim genitore deus ipse profectus,  
Genitrice natus virgine.  
Vnde sit, ut mecum vix gestiat unus & alter

## CARMINA. ad XXI.

Affinitatem iungere;  
Maximus ille ego sum coelicq; soliq; monarcha.  
Seruire nobis cur pudet?  
Diues item, & facilis dare magna, & multa roganti,  
Rogari amo, nemo rogat.  
Sumq; vocorq; patris summi sapientia, nemo  
Me consulit mortalium.  
Ipse ego sum ætherei splendorq; decusq; parentis,  
Me nemo stupet, aut suspicit,  
Sum firmus iuxta, ac iucundus amicus amico  
Me pariter, ac meas opes  
Candidus, atq; lubens charis impertio, nemo hanc  
Ambit necessitudinem.  
Sum via qua sola coeli itur ad astra, tamen me  
Terit viator infrequens.  
Cur tandem ignarum dubitat mihi credere vulgus?  
Aeterna cum sim veritas  
Pollicitis cur stulte meis diffidere perstas?  
Cum sit nihil fidelius.  
Auctor ad hæc vitæ cum sim vnicus, ipsaq; vita,  
Cur sordeo mortalibus?  
Lux ego sum, cur huc vertunt sua lumina pauci?  
Dux, cur gravantur insequi?  
Viuendi recte certissima regula solus,

D iiij

## DE PVERO IESV

Aliumde formas cur petunt?  
Ipse ego sum solus vera, et sine felle voluptas,  
Quid est q̄ ita fastidior?  
Vnica pax animi, quin huc deponitis ægris  
Curas edaces pectoris?  
Si benefacta truces etiam meminere leones,  
Referuntq; beluae vicem,  
Respondere feri merito didicere dracones,  
Si meminit officij canis,  
Si redamant aquilæ, redamant delphines amantem,  
Cur efferacior feris,  
Me me non redamas homo? cui semel omnia feci,  
Quem condidi, quem sanguine  
Afferui proprio, propriæq; a morte recæpi  
Dispensio vitez volens.  
Si bos agnoscit dominum, si brutus asellus  
Agnoscit altorem suum,  
Cur me solus homo male gratos nosse, recusas,  
Et conditorem, & vindicem?  
Vnus ego hic tibi sum cunctorum summa bonorum,  
Quid est quod extra me petas?  
Quorsum distraheris per tot dispensia, grassans  
Laboriosa inertia?  
Sum placabilis, & pronus miserescere, quin hoc

Miser ad asylum confugis?  
Idem iustus, & implacabilis vltor iniqui,  
Cur non times offendere?  
Corpus ego, atq; animum nutu sub tartara misce,  
Nostrum metus vix ullum habet.  
Proinde mei desertor homo secordia si te  
Adducet in mortem tua,  
Præteritum nihil est, in mente reij ce culpam,  
Malorum es ipse auctor tibi.  
Nam quid adhuc superest? si te neq; prouocat ardens  
Suiq; prodiga charitas,  
Obis marmoreum pectus, neq; mitigat vnquam  
Adeo profusa benignitas,  
Si neq; tantarum spes vel certissima rerum  
Expergefacit, & allicit,  
Si neq; tartareæ cohibet formido gehennæ.  
Nec vllus admonet pudor.  
Immo si durant magis hæc, adduntq; stuporem,  
Tam multa, tamq; insignia,  
Ut facile immanescq; feras, chalybemq; petramq;  
Rigore victo moliant,  
Quid faciat pietas, quibus artibus abstrahat vltro

## DE PVERO IESV

Deuota morti pectora?  
Inuitum seruare, nec est mentis (puro sanæ)  
Et patria prohibet æquitas.

τελος.

## IMAGO PVERI IESV POSITA IN LVDO LITERARIO, QVEM NVPER IN- STITVIT CO- LETVS.

Discite me primum pueri, atq; effingite puris  
Moribus, inde pias addite litterulas.

## CARMEN PHALECIVM.

Sedes hæc puerò sacra est IESV.  
Formandis pueris dicata, quare  
Edico, procul hinc faceſſat, aut quiſ  
Spurcis moribus, aut ineruditā  
Ludum hunc inquiet eruditione.

## CARMEN IAMBICVM.

Non inueniūto antiquitas ænigmate  
Studij magistram, virginem  
Finxit Mineruam, ac literarum præſides

# CARMINA

## XXIII.

Finxit Camoenas virgines.  
Nunc ipse virgo matre natus virgine,  
Præsideo virgineo gregi,  
Et sospitator huius, & custos scholæ,  
Ad sunt ministri virgines,  
Pueros meos mecum tuentes angeli,  
Mihi grata vbiq; puritas,  
Decetq; studia literarum puritas.  
Procul ergo sacro a limine  
Morum arceant mihi literatores luem,  
Nihil huc recipiant barbarum.  
Procul arceant illiteratas literas,  
Nec regna polluant mea.

## ALIVD.

Quin hunc ad puerum pueri concurritis omnes?  
Vnus hic est vitæ regula, fonsq; piæ.  
Hunc qui non sapiat, huius sapientia stulta est,  
Absq; hoc vita hominis mors ( mihi crede ) mera est.

## SAPPHICVM.

Cœperit faustis auibus precamur,  
Semper augescens meliore fato,  
Hic nouæ sudor nouus officinæ

## Auspice IESV.

Hic rudis ( tanquā noua testa ) pubes  
Litteras graias, simul & latinas,  
Et fidem sacram, tenerisq; Christum

## Combibet annis.

Quid fuit læta sobolem dedisse  
Corporis forma: nisi mens & ipsa  
Rite singatur, studijsq; castis  
Culta nitescat;

## DE PVERIS

Stirpe ab hac sensim noua pullulabit  
Ciuium proles, pietate iuxta, ac  
Litteris pollens, breuiterq; regno  
Digna Britanno.  
Ludus hic syluæ pariter futuræ  
Semina, hinc diues nemus vnde quaq;  
Densius surgens decorabit Anglum  
Latius orbem.

### ¶ Epitaphium Scurrule temulentii, Scazon.

Pax sit viator, tacitus hos legas versus,  
Ut sacra verba mussitant sacerdotes,  
Ne mihi suauem strepitus auferat somnum,  
Repetatoq; vigiles ilico sitis fauces.  
Nam scurrula hocce sterto conditus saxo,  
Quondam ille magni clarus Euij mystes,  
Ut qui bis octo lustra perbibi tota,  
Oculis profundus deinde somnus obrepst,  
Ut sit, benigno membra cum madent Baccho.  
Atq; ita peractis suauiter bonis annis,  
Idem habendi finis, atq; viuendi  
Fuit, Sed etiam me aliquis ebrium credat,  
Aut somniare, qui ista dormiens dicam.  
Vale viator, iam silenter abscede.

Lipsiæ ex ædibus Valentini Schumannii  
Anno dñi Milleſimo quingens  
ſecundo vnde uigesimo.



AKTEN

**ULB Halle**  
004 174 224

3





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



BR. 532, 3.

B. m. II 145

II  
9  
10

